COMMENTATIONES QUAEDAM

DE CEREBRI HAEMORRHAGIA.

QUIBUS

AD PRAELECTIONES SUAS

DE MORBIS NERVORUM

INVITAT

MAURITIUS HENRICUS ROMBERG,

MEDICINAE DOCTOR.

BEROLINI MDCCCXXX.

PROSTAT IN OFFICINA STUHRII.

Cum ab amplissimo medicorum ordine veniam in hac universitate litteraria docendi peterem, et materia aliqua mihi circumspicienda esset, quam legibus obtemperans tanquam specimen publice explicarem, essetque ea mihi eligenda, quae digna illo doctissimorum hominum consilio videretur, aptaque ad adolescentium huic arti deditorum et studia excitanda et favorem conciliandum: quaedam ad doctrinam de nervorum morbis pertinentia illustranda sumsi, in qua investiganda decem annos amplius omni cura et studio elaboravi.

Sed intra angustos ejusmodi disputationis fines, cum paullo accuratiorem tractationem cujusvis argumenti vix quisquam jure requirere possit, quis exspectet, ut impeditissimum et difficillimum locum ex omni parte expedire atque tantam doctrinam paucis his pagellis complecti conemur? — Constitui igitur uberrimae disciplinae fragmentum tantum proponere, ut dum pro virili parte illi lucis aliquid afferre studeam, meorum simul studiorum rationem reddam, documentumque prodam in hoc docendi munere diligentiam certe mihi non defuturam.

Ceterum qui disciplinam de his morbis vel leviter attigerit, qualem antiquiores recentioresque nobis tradiderunt, desiderabit profecto quasi Ariadnes filum quoddam, quo duce ex magni labyrinthi ambagibus tuto se expedire possit; tot sunt tantique errores, quibus nos implicant auctores inter se dissidentes; cum mihi in his difficultatibus unum ex anatomiae opibus petendum auxilium videtur, praesertim ei, qui non solum aegrotos curare, sed firmam solidamque doctrinam condere et tradere conetur.

At dicet fortasse quispiam: Cum cognitio nervorum, qualem anatomia exhibet, adhuc manca sit et debilis, quis tam infirmo praesidio ad scientiam aliquam pervenire se posse speret? Ad quod respondere possumus, eam esse omnium disciplinarum communem conditionem, ut quo magis quaeque ad artes illustrandas in auxilium vocetur, eo majora incrementa capiat. Sic fore, ut anatomia eo ipso, quod disciplina tam late pertinens ad ejus opes confugiat, ejus auxilio indigeat, in dies magis aucta illustrataque brevi suas lacunas expleat. Ceterum nervorum anatomia his decem annis tantos fecit progressus, ut magna spes sit, proximam aetatem altiora, nunc quidem recondita, consecuturam. Itaque, quae nuper experimenta sentiendi facultatem posterioribus

spinalis medullae columnis nervorumque inter vertebras gangliis insitam esse docuerunt, quaeque movendi vim anterioribus vindicarunt, ea sane obscurae neuralgiarum disciplinae novum lumen adspergentia idoneam reddunt rationem, unde fiat, ut alii nervi ex antica columnae parte una tantum ac simplici radice profecti, ut septimum nervorum par, nullo unquam dolore tententur, dum alii ut nervi ii, qui ex quinti paris radice postica originem ducunt, dolore frequentissime afficiantur. Neque minorem usum praebere pollicetur inventum illud, quod nervos respirationis muneri inservientes in peculiarem et a ceteris alienum ordinem discernit, qui propriis virtutibus polleat, propriisque vitiis obnoxius sit, veluti civitas quaedam disjuncta, quae in magno imperio suis tamen legibus utitur; itemque indagatio de glandulae pituitariae natura nuper inchoata, quae primum illi inter ganglia sympathicorum nervorum locum adsignat.

Quam viam, qui semel ingressus est, ipsis difficultatibus in proposito confirmatus, haud eos refellere operae pretium putabit, qui novorum semper remediorum cupidi nostra ratione sanationem morborum nihil omnino proficere queruntur. His enim persuadere difficillimum est, morborum curationem totius disciplinae medicae nonnisi partem esse, atque quo magis illa novis inventis augeatur, eo majora hanc incrementa capere: quos equidem reprehensores non magis curandos arbitror, quam herbarii hortulanorum curant querelas. Praeterea neminem fore credo, qui dubitet, medicinam esse totius physices partem, verumque medicum profecto decere, sic in arte exercenda et in disciplina tradenda versari, ut non magis in medicos, quam inter physicos censendus esse videatur.

Erunt vero, qui arguant, nos omnem salutem ponere in iis, quae sunt subjecta sensibus, augurenturque, haud dubie eventurum esse, ut nos, totos anatomiae inventisque ejus deditos vinculum illud, quo singulae observationes in unum colligantur, deficiat. Quibus respondebimus: Nos quoque non ita sumus arti a nobis laudatae addicti, ut ignoremus, ex omnibus quae experimentum docet et corporum animantium sector diligentissimus detegere potest, tum demum rectam scientiam effici, si adhibito acri judicio auxilioque illius omnium artium reginae, philosophiae, leges communes de natura horum morborum indagentur, et eo fundamento neuropathologia generalis constituatur.

His praemissis, jam rem ipsam adgrediamur.

MORBI DESCRIPTIO.

Cap. I.

Notae in vivis corporibus repertae.

Attoniti plerique omnes statim ab initio morbi aut resolutione aut dolore aut sopore subito corripiuntur.

Quos *resolutio* in limine morbi erectos invadit, ii fere concidunt. Os pervertitur, lingua torquetur, vox non explicatur, brachium atque crus alterutrum flaccidum dependet, motu ac sensu orbatum, mens aut constat aut sopore obruitur.

Dolore vexati in capite aliquid ruptum esse derepente clamitant, frigidas tremulasque manus fronti admovent, colorem amittunt, gelido sudore madent, paene animam agere videntur.

Altum in *soporem* demersis facies tumida, colorata, palpebrae conniventes, pupillae dilatatae, respiratio tarda, sonora, pulsus plenus, fortis, lentus, membra alias convulsa, alias immota.

Morbi impetus indiciis illis notatus hominem aut praeceps jugulat, aut lentius conficit aut vitae, laeso vel illaeso corpore, restituit.

* * *

Quam primis tantum lineamentis adumbravimus morbi imaginem, ea jam nobis ad optimorum quorumque medicorum exemplum, nostra etiam qualicunque experientia fretis, accuratius effingenda videtur, initio ab ipsis morbi initiis ducto.

Indicia morbi praenuntia aut prorsus nulla sunt aut valde incerta; nam quae talia vulgo perhibentur, cum ut cerebri vitiis communia sint universis, ita aliorum etiam viscerum labi haud raro superveniant, non aliter fieri potest quin medicum ad errorem vanamque praedictionem pelliciant. Quo pertinent: capitis dolor, maxime circa tempora vel occiput, continuus vel per vices revertens, cum gravitatis pulsusve sensu conjunctus, vertigo, aurium tinnitus, fragor, soni incerti, oculi caligantes, humidi, rubore suffusi, nares aridae, lingua subinde haesitans, balbutiens, ad somnum proclivitas, somnia tumultuosa, moestitia, memoria vacillans, pectoris angor, cordis atque ca-

rotidum palpitatio, membrorum imbecillitas, torpor vel sensus alienus. Quin imo animi alacritas corporisque vigor insolitus tanquam mali instantis indicia a quibusdam commemorantur.

At longe frequentius accidit ut signum nullum de periculo imminente praemoneat, sed morbus inter ipsos labores vel inter otia homines inopinato occupet atque interdum fulminis instar de vita expellat, etiamsi non infitiandum est, rariora utique esse ejusmodi exempla quam fere putentur. Quippe ex ducentis, quorum in medicorum scriptis mentio fit, attonitis, sex tantum fuere, quibus actutum raptis morbi celeritas etiam moriendi sensum abstulerit.

Attoniti *resolutione* affecti quo in latere capiuntur in idem protinus inclinant ac nisi suffulciantur humi procumbunt. Nam variat resolutionis et sedes et conditio et quanto frequentior ea est, quae latus alterutrum occupat, tanto rarior illa, quae utrumque simul latus vel singula tantum membra detinet, ut ex attonitorum quotquot nobis innotuerunt comparatione liquido apparet. Ratio enim haec est: Ex CXXX *latere alterutro* resoluti fuerunt

CIII

dextro — LIV; sinistro — XLIX

utroque latere — X

singulis membris — XVII

brachio: dextro VI, sinistro VIII; pede: dextro I, sinistro II

Hemiplegia seu unius lateris resolutio perfecta, ea scilicet quae a summo vertice ad imos ungues aequaliter pertinet non ita frequens est, quam ex libris medicis colligas, qui minus subtiliter distinguentes quamvis oris torturam artuumque resolutionem lateralem nomine illo appellare solent, imo admodum rara. At vulgaris sane ea, qua si non omnes certe plures partes eodem in latere potissimum faciei simul petuntur. Oculus palpebra demissa operitur, videndi facultate privatus, pupilla immobili vel fusa vel arctata, labium pendulum spiritu efflato adtollitur, lingua titubat, apice versus resolutum corporis latus contorto, cutis atque musculi hac parte relaxantur dum ex altera parte oris angulum deorsum trahentes intenduntur: haec est illa hominum ex uno latere resolutorum oris proprietas ac flebilis vultus, qui stupidum quendam moerorem prae se ferens ad commiserationem praesentium animos impellit. Ceterorum autem sensuum amissio rarior est et omnino impetu morbi adhuc urgente

difficilis cognitu, at interdum et auditum et odoratum et gustum alterutrius lateris simul deperire exempla docent. Quin aliquando etiam fauces hoc modo resolvuntur, ipseque nuper hominem vidi dextri lateris paralysi affectum qui non nisi sinistra oris parte potionem cibumque assumere potuit, in alteram autem inditum statim reddidit suffocationis periculo vexatus. Pectoris quoque musculos solvi, sic ut unum latus inter respirandum penitus immobile haereat, vir rei anatomicae peritissimus [1]) auctor est, id quod nec antiqui nec recentiores medici tradunt neque nobis ipsis licet curiosius intentis videre contigit. At potissimum vero alterutrum brachium atque pedem resolutione affici inter omnes constat, plerumque uno eodemque temporis momento, rarius utique altero alterum praevertente.

Interdum tamen accidit ut utriusque lateris partes morbo occupentur, de qua resolutionis specie illustranda laudatus ille professor Parisiensis optime meritus est [2]). Quae paralysis vel uno impetu fit ac tum paraplegiae nomine recte appellatur vel successione quadam magis minusve celeri, tanquam duplicis hemiplegiae facta conjunctione.

Singulorum denique membrorum sideratio aut per se incidit aut alterius lateris resolutioni adjungitur, cujus rei exempla, quae pauca ab aliis medicis et inprimis a Cel. *Serres* [3]) traduntur, brachii paralysin frequentiorem ceteris esse docent.

Resolutionem non solum loco sed modo quoque differre supra jam dictum est; corporis enim partes aut motu privantur, quod crebrius evenit, aut motu simul ac sensu, neque id quidem eadem semper ratione, quandoquidem in aliis non nisi stupore opprimuntur, in aliis autem movendi sentiendique facultate privantur, quod ipse externus artuum habitus non obscure indicat, cum in cubantibus plerumque intus inclinati situm suum iniquum pertinaciter servent, in erectis ut inanimatum quoddam et inutile a corpore dependeant, musculis relaxatis iisque toresa sua plenitudine orbatis.

Secundum resolutionem id signum, quod a mentis facultate ducitur, plurimum habet momenti. Differt enim morbi species prout aegroti aut sui compotes sunt aut mentis usu destituuntur. Illi statim a primo morbi impetu terrore perculsi paulo post ad se redire solent: hi contra sopore premuntur aut gravi altoque aut levi atque semisomno, eoque sive intermisso sive continuo, e quo vel sponte evigilantes vel de-

---

[1]) *Serres,* nouvelle division des apoplexies. (Annuaire médico-chirurgical des hôpitaux et hospices civils de Paris). Paris 1819 p. 246—364.

[2]) *Serres* l. c.

[3]) Recherches sur les maladies organiques du cervelet. (Magendie Journal de physiologie expérimentale et pathologique. T. III. 1823, p. 114—153).

dita opera excitati satis apte quidem et concinne nisi quod marcore quodam torpere videntur interrogantibus respondent, mox tamen longiori vel breviori interposita mora in pristinum rursus soporem incidunt. Aliquando etiam fit ut vel ex somno expergefacti vel jam a principio insomniis laborantes leviter desipiant alienaque loquantur.

Maxime vero loquendi facultas in hominibus ex uno latere resolutis tentatur, in aliis alio modo. Nam aut prorsus obmutescunt aut haesitantes titubant aut singulas quasdam litteras pronuntiare nequeunt aut brevissima tantum vocabula proferunt aut etiam quae recte sentiunt et meditati sunt appellationibus absurdis inviti designant.

Ceterae morbi notae illis adhaerentes perquam variae sunt. Ita inprimis pulsus modo velocius modo tardius agitati, nunc paribus intervallis nunc imparibus moti, interdum nulla ratione a consuetis, quales ante morbum esse solebant, discrepantes, vel, quod rarius evenit, lentiores imbecillioresqne in resoluto brachio quam in altero. Perinde variat spiritus, cum vel celeriter vel cunctanter vel aequaliter vel inaequaliter trahatur, a vigilantibus facile ac sine strepitu, a veternosis graviter et cum roncho. Accedit magna caloris inconstantia quippe per cutem omnem plerumque aridam aut aequabilem justamque habet temperiem aut circa caput maxime ac praecordia modum excedit aut infra eum in partibus extremis et resolutis subsistit. Similiter et habitus oris in aliis coloratus ac tumidus, in iis praecipue qui sopore tenentur, in aliis pallidus et collapsus, in aliis prorsus immutatus. At semper fere potionis aut imminutum desiderium, aut omnino nullum, alvus segnis, clausa, nec nisi valentioribus medicamentis obtemperans, urina rara, tarda, suppressa.

Neque tamen haec symptomata in omnibus unum per totum morbi spatium servant tenorem sed varias subinde vicissitudines subeunt, modo mitiora modo acriora existunt, inprimis spiritus, pulsus, calor, ut febris speciem quandam referant, quae tamen non nisi rarissime certos ac definitos habet circuitus.

Praeterea totus signorum ordo et ambitus ipso morbo ad exitum vergente commutatur, cum periculum indiciorum et frequentia celerius tardiusve aut ingravescit augeturque aut mitigatur et imminuitur. Quibus enim intra aliquot horas vel dies mors imminet hi sensus motusque expertes sopore continenter premuntur, stertentes spiritum trahunt et per buccas inflatas emittunt, subinde oscitantur, spumam agunt in ore, convulsione illaesi lateris corripiuntur, tandemque alvo et urina sine voluntate profluente, inferioribus partibus gelidis, superioribus tenui fervidoque sudore madefactis, respiratione difficillima, pulsibus velocissime agitatis, naribus acutis, temporibus collapsis, ore hiante animam efflant. Sin autem mors appropinquat tardius post septimanas duas tresve imo quatuor, sive natura sive artis ope dilata, tum plerumque varias patiuntur aegritudinis mutationes, quaeque haud raro prosperioris ominis specie ceteros quidem ad irritam spem pellicere possunt, medicum autem naturae peri-

tum neutiquam decipiunt, quippe quae vel inter se ipsae discrepent speciosae istae notae ut mens resipiscens cum gravi respiratione conjuncta, maxime vero eo suam fallacitatem prodant quod plerumque ut subito exstiterant ita celeriter evanescunt.

Aliter autem res se habet, ubi salutis mox rediturae affulget fida spes. Ac nititur illa quidem iis potissimum signis quae morbi remissionem aut antecedunt judiciumque, quamquam non, quod sciam, in certos dies indicant aut subsequuntur crisimque jam absolutam ostendunt. Quo in numero recensentur: sanguinis vel pituitae per nares cursus, salivae in ore coitus ac destillatio, sudor calidus per totum corpus aequabilis, urina crassa, subsidens, venarum ora ad anum aperta, alvus soluta, mollis, cita, quibus accedit et calor auctus et pulsus acceleratus. Talis verum morbi exitus et qui sua sponte contingat, nostro certe tempore quo validissima quaeque statim a principio celebrantur remedia est sane inter rarissimos, certumque salutis indicium nisi ex ipsius curationis profectu atque eventu peti vix potest. Tum optimi ominis est singulorum signorum in melius vergentium congruentia, eorumque fere hic est ordo: sopor excussus, spiritus sine strepitu redditus, lingua expedita, vultus ad pristinam speciem compositus, tandemque partium resolutarum, pedum prius, deinde brachiorum sensus reviviscens motusque restitutus.

At enim vero quotusquisque attonitorum invenitur, qui pristina valetudine recuperata recuperatam conservat? Nam morbi reliquiae quaedam aegrotis ex hoc praecipite discrimine ereptis diu adhaerescunt. Ac resolutionis inprimis vestigia per reliquum vitae spatium corpori impressa plerumque remanent ut tam diro morbo superstites ex ore distorto ac pede claudicante facile a quovis agnoscantur. Nec sane insolitum paralysin tam late residuam inveterascere quam primo statim impetu sese effuderit et quas partes pertinaciter teneat eas turpare aliis super alia vitiis adscitis. Ita cutis decus et colorem suum amittit, aspritudine et squalore foedatur, ungues scabri fiunt ac finduntur, membra ipsa modo emarcescunt, vel flaccida sensuque destituta vel cum rigore inflexa ac dolentia, modo aquae tumore tentantur, qui album ducit et lucidum colorem digitoque impresso cedit. Simulque totus corporis habitus commutatur, trunco versus sanum latus paulatim inflexo et incurvato. Pariter mens interdum in eo quem supra dixi statu diutius perseverat, una alterave facultate vel pluribus simul destituta. Memoria aut vacillat aut prorsus perit; stupor insignis aliquamdiu persistens tandem in dementiam transit, qua capti alii moesti, animo dejecto, perpetuo lacrymantes, alii hilares, stolide ridentes, alii denique, quod rarissime accidit, furibundi. Tales autem plerumque animi aegritudines haud multo post primum morbi impetum incidunt, raro serius, resolutione jam senescente. Ita sensuum quoque amissio vel hebetudo, inprimis linguae difficultas, miseros diu infestat.

Quibus mentis corporisque affectibus alia fere valetudinis incommoda, inter quae principatum obtinent concoctionis vitia et respiratio laesa, se adjungere solent.

Neque vero tamen hic est calamitatum tam dirarum finis, sed iteratis intra aliquot menses vel annos tentationibus vita saepe in periculum vocatur, quae nunc leviores sunt quam primus morbi impetus et breviores ac subinde invadunt, nunc graivores eoque certius una aut altera vice revertentes mortem inferunt.

Jam altera nobis morbi species illustranda est, quae non sicut illa naturam habet languidam torpidamque sed trepidam quandam perturbationem. Capitis dolor protinus incidit, qui jam ab initio vehemens atque intolerabilis assidue urget aut mitior primum et per intervalla quiescens in horas augetur. Atque adeo interdum miseri cruciantur ut cerebrum lacerari, caput disrumpi putent, dolorisque vehementia tam ex vultu luctuoso quam ex gemitu, clamore, gestu facile intelligi possit, quem dolorem quivis corporis motus capitisve agitatio, tussis, sternutamentum graviter auget. Sunt quos tanto impetu invadat ut animo statim deficiant: membra intremiscunt, genua solvuntur, facies exalbescit, sudor frigidus in fronte erumpit, arteriarum ictus prope nullus. Rarius in certa quadam capitis parte dolor sedem suam figit, plerumque totum caput occupat usque ad cervicem humerosque pertinens. Aures sonant, oculi hebescunt, pupillae arctantur, supercilia contrahuntur. Accedit nausea atque vomitus, maxime erecto capite, respiratio accelerata, suspiriis intercisa, pulsus citati, exigui, tangenti renitentes digito, cutis horrore perfusa, urina tenuis atque pallida.

His cruciatibus congruit praeceps morbi periculum. Nam alios vixdum ejulantes subita jam opprimit mors, alii per unum alterumve diem mentis compotes miserrimam trahunt vitam. Nec raro accidit ut sopor mox ingruens flebilem vocem praecludat atque dolorem, quem manu subinde capiti admota utcunque significant mox obtundat vel penitus intercipiat. In quibusdam, raro sane exemplo, dolorem aut saevientem adhuc aut jam mitigatum paralysis excipit, de qua pluribus supra dictum.

In tertia denique morbi specie corporis mentisque vires tanquam gravi onere oppressae deprehenduntur eaque correptos jam inter ipsa morbi initia sopor urget sensuumque facultates frangit. Supini cubant, stertunt, labris atque buccis, dum spiritus cum sibilo eliditur, velorum instar passis rursusque contractis. Facies et collum sanguine turget ac rubore suffunditur, palpebrae clausae, venae circa frontem et guttur tumidae, respiratio sublimis, sonora, tarda, pulsus pleni, rari, cutis calida,

alvus suppressa, urina cohibita vel sine voluntate destillans. Torpor summus, ut neque punctiones nec atrocissimi quidem, quales sunt parturientium, sentiantur dolores, etiamsi nonnullis contingit ut minus gravi premantur stupore excitatique partes vellicatas contrahant, palpebras aperiant, pauca quaedam balbutiant, sed mox dormiendi necessitate denuo vincantur. Alii, inprimis feminae parturientes, horridis concutiuntur convulsionibus, quae alternis caput reflectunt, cervices rigidos intendunt, faciem livido colore infectam, sudore ac spuma madidam, foede contorquent, truces defigunt oculos, pectus adtollunt, artuumque musculos vehementissime vibrant. Alii denique tantum non immobiles jacent, corporis pondere ad lecti pedem delapsi, pariterque brachium vel crus ab aliquo e circumstantibus forte sublatum et rursus remissum tanquam membrum emortuum protinus decidit.

Quos altus somnus a principio continenter premit, isque cum convulsionibus conjunctus, celerius moriuntur, tardius illi quos per vices, utrum certas an incertas parum adhuc liquet, obruit sopor. Atque fit etiam ut clandestinus irrepat morbus, inprimis vi extrinsecus illata, primum hebeti capitis dolore ac segnitie quadam nuntiatus, quibus deinceps dormiendi cupiditas, pedum imbecillitas, memoriae infirmitas, sermonis difficultas accedunt ac per plures hebdomades, menses, imo annos protractus tandem mentis defectione altissimoque sopore vitam adimat.

Cap. II.

Morbi notae in mortuorum corporibus incisis repertae.

Qui cerebrum attonitorum hactenus incidebant duo inprimis genera vitiorum inveniebant, prout mors aut morbi impetum ipsum aut post breve longumve intervallum subsecuta est. Primum de illis dicam.

Sanguis effusus variis apparet locis, modo in cerebri materia, modo in ejus ventriculis, modo inter velamenta, aut pluribus simul aut singulis tantum sedibus.

A sanguinis eruptione intra cerebri vel cerebelli hemisphaeria nascitur fissura, saepius cavum quod nunc angustius, nunc latius patens interdum vix fabae magnitudinem habet, aliquando vel ovi modum excedit, in quo abundans humor fluidusque inclusus, cum cerebrum digito prematur, motum leniter undantem ciere solet. Haud raro cavum recens obortum confini medulla rubris conglobatisque punctis inspersa tanquam tecto quodam cingitur. Caverna ipsa patefacta sanguinis collectio in conspectum venit, plerumque concreti ac subnigri, qui interdum cum portiunculis cerebri comminuti mixtus est, nonnunquam ex parte liquidi et rubicundi, vel exiguo

vel magno plurium unciarum pondere. Circumcluditur undique et cohaeret cerebro cruentato, fracido, lacerato, cujus laciniae cruore aqua eluto fluitant. Proxima cerebri pars latitudine aliquot linearum mollis est flavoque colore imbuta et sensim in partem adhuc integram transit. Neque semper tamen cava ista, maxime ampliora, clausa inveniuntur sed interdum perrupta, vel extrinsecus vel intus, sursum deorsumve, qua via sanguini per rimas sinusque aut in inania ista loca, quae ventriculi appellantur, aut ad cerebri superficiem, aut denique versus utramque partem exitus aperitur.

Ceterum sanguinis sedes intra cerebri globos exundati non eadem est ubique. Quorum uterque rarius simul morbo petitur adeo ut inter centum cadavera non nisi decem reperiantur, in quibus duplicis collectionis recentia vestigia extent, hac ratione ut semel in cerebro, septies in cerebello atque bis in corporibus striatis deprehendantur. Alias semper alterutrum dumtaxat latus vitio afficitur, et dextrum et sinistrum, (illud septies et qnadragies, hoc quinquies et quadragies) varie autem pro partibus singulis: nam inprimis hemisphaeria ipsa eorumque candida materies frequentius quam cinerea sanguinis profluvio patent, (sexies et quinquagies) tum corpora striata, (sexies et vigesies) deinde cerebellum (decies) rarius thalami optici, (quater) rarissime denique medulla oblongata atque pons Varoli (bis).

Quemadmodum modi et loci, sic etiam numeri inveniuntur varietates. Saepius quidem una tantum caverna sanguine impleta in hemisphaerio alterutro, raro duae vel tres, rarissime plures parvulae deprehenduntur.

Quamvis minus frequenter quam hemisphaeria satis crebro tamen ventriculi cerebri sanguinis effusione inundantur, nunc omnes, (sexies) nunc uterque tricornis, (septies) alias tantum alter eorum (dexter decies, sinister novies). Sanguis ipse plerumque liquidior est, vel etiamsi concretus majori humoris parte circumfusus quam qui in medullae cavernis includitur, isque tanta copia nonnunquam irruit ut septum ac fornicem perrumpat et in unum vastumque confluat cavum. Ac tum quidem plexus choroideus fere semper dilaceratus conspicitur, ceterum rupti hujusce retis pauca occurrunt exempla.

Qui inter cerebri membranas effunditur sanguis, quod rarius accidit quam in ejus materiam ventriculosque, semper quidem inter supremam mediamque tunicam subsistit, rarissime inter calvariam et duram matrem, nisi vi quadam extrinsecus illata. Nunc liquidus ac ruber, nunc concretus atroque colore, aut in superficie aut in basi modo utriusque globi, (novies) modo dextri, (quinquies) modo sinistri (novies) sedem tenet, crassae instar pultis membranis adhaerens, siquidem ex sinu plagis vulneribusque aliquando perforato vel ex vena, vel ex arteria (in basi potissimum cerebri) dehiscente aut disrupta effluxerit, ubi alia plerumque vasa exinanita reperiuntur. Sic

Valsalva[1]) arteriae carotidis internae truncum laceratum vidit, *Nebel*[2]) ramum arteriae vertebralis, *Serres*[3]) carotidem internam et arteriam basilarem, *Moulin*[4]) arteriam basilarem et inferiorem cerebelli, nos ipsi[5]) arteriam cerebelli superiorem sinistram. Quandoque carotidum vel vertebralium soboles aneurysmate tumens rumpitur ac sanguinem longe lateque diffundit[6]).

Praepositis quae ad recentem sanguinis intra cerebrum collectionem pertinent, proximum est ut de illis dicam quae simul in corpore mutata reperiuntur.

Externus illorum habitus quos morbus sustulit nullum fere exhibet vitium quod huic ipsi proprium sit. Calor interdum diutius in corpore remanet, cutis livore sanguinisque suffusione vel in utroque vel alterutro latere decoloratur, maxime circa dorsum, femora, faciem et pubem. Quorundam facies vel calvaria, lapsu alicubi impacta, leviter contusa ac sugillata est et os contortum, sanguis vel pituita naribus labiisque adhaeret.

Capillata cuti dissecta, e qua tum plurimus sanguis destillat, ossibusque calvariae cauta manu remotis, dura mater, nisi forte cum illis coalita est, arcte supra cerebrum tensa apparet, colore rubro vel livido, sanguine intra arterias maximeque venas et sinus accumulato. Per mediam cerebri membranam pellucet sanguinis in pia matre abundantia vel in vasis contenti vel per vibices maculasque rubras aut subnigras diffusi. Cerebrum ipsum solito durius sanguine plurimo impletum est, ut candida medulla rubore tingatur incisaque purpureas stillet guttas. Seri copia inter membranas vel ventriculos contenti plerumque mediocris est, interdum autem diluto rubore infecta. In arteriarum cerebri, inprimis majorum, tunicis vitia haud raro occurrunt, haec fere: membranulae intimae rubor, scabritia, fissurae, maculae albae, squamulae crebrae, osseae, denique exulcerationes.

A capite transitus fiat ad pectus, quo aperto pulmones sanguine tumentes, ex rubro subnigri conspectui subjiciuntur, praecipue in illis quos vel celeriter mors jugulavit vel spiritus gravitas atque stertor ante oppressit. Rariore casu humoris cruenti in alterutrum pectoris cavum effusio deprehenditur, a nobis simul in eodem la-

---

[1]) *Morgagni* de sedib. et caus. morb. L. I. ep. II. n. 20.

[2]) Cf. Acta Naturae Curios. a 1740. Vol. V. p. 393. obs. CXIII.

[3]) Annuaire medico-chirurgical des hopitaux et hospices civils de Paris, p. 300.

[4]) Traité de l'apoplexie. Paris 1819, p. 75.

[5]) *Romberg*, Ergebnisse einiger Leichenöffnungen in Horn's etc. Archiv für medic. Erfahrung, 1823. Mai u. Juniheft p. 418.

[6]) *Serres* observations sur la rupture des aneurysmes des artères du cerveau, *Magendie* Journal de physiol. etc. T. VI. p. 82—96.

tere quo in cerebro vitium reperta [1]). In cordis superficie vasa sanguine distenta. Pariter in abdominis visceribus maximeque intestinis sanguinis abundantia cernitur.

Inter recentem ac veterem sanguinis effusionem exstare differentiam jam supra dictum est; hanc ipsam autem in aliis aliter sese habere, ex iis, quae mox dicturi sumus, apparebit. Attamen in eo vetustiores in cerebri materia cavernae ita congruunt ut plerumque firmis et duris parietibus sepiantur intraque eas sanguis nuclei instar reconditus, in arctiori spatio compressus, centrum versus densissimus, colorem prae se ferat obsoletum ex fusco rubentem. Saepissime cavernae parietes inveniuntur membrana quadam velati, interdum tenuissima, araneis textis simili, interdum crassiori, quae cum pleura comparari potest, colore rubicundo vel albicante, sanguineis vasculis intexta, laevi plerumque, rarius lanuginosa, quae totum cavum obducit cerebrique materiae tenacissime adhaeret. Magnitudine quoque vetustae illae cavernae distant et a recentibus, siquidem nunquam fere tam late diffunduntur nec formam inaequalem et angulosam sed globatam plerumque habent, et inter se ipsas, modo pisa, modo cerasos vel pruna aequantes. Humor etiam, quem includunt, differt, nunc turbidus ruberque, nunc limpidus vel flavescens vel candidus, innatante spissati sanguinis globulo. Nonnunquam etiam liquore vacuae reperiuntur cavernae, parietibus propius admotis, interdum per fila reticulata sibi annexis, in quorum maculis humoris guttae in densitatem coeunt. Rarissime autem contingit ut margines agglutinati cohaereant. Quandoque eae cerebri partes, in quibus caverna sita est, praecipue patentiora quaedam loca, ut corpus striatum atque thalamus opticus, marcida rugisque sulcata deprehenduntur.

Quod ad sedem numerumque cavernarum tunica inclusarum attinet, ille semper fere in corporibus striatis et hemisphaeriis cerebri, in interiore parte eorum saepius quidem quam in superficie, figitur; numerus autem non in omnibus idem, cum crebro una tantum inveniatur, interdum plures, vel in altero vel in utroque cerebri globo, ea ratione ut inter quinquaginta quatuor cava involucro suo obducta ter et quadragies singula, bis bina, quater terna, ter quaterna, semel quina, imo octona reperta sint, varia forma, magnitudine, structura, saepe simul cum recenti sanguinis effusione conjuncta, quae tamen fere nunquam eundem locum denuo cruentat.

Nequaquam tamen omnis sanguis in cerebri materiam extrusus ibique diutius stagnans caverna tunicata includitur, siquidem interdum ipse sanguinis grumulus arescit, induratur, cerebro inhaeret, propeque coalescit.

At in ventriculis cerebri rarissime omnino cruoris multo ante profusi reliquiae supersunt, quarum non nisi sex exempla apud auctores invenimus, qui sanguinem vel

---

[1]) L. c. p. 418.

polypi instar concretum fuisse tradunt, vel ut faecem quandam parietibus ventriculorum adhaerentem [1]).

Ille autem sanguis qui inter membranas emissus longius immoratur, in laminas ad similitudinem earum, quas aneurysmata habent, concretus deprehenditur, nunquam in imo cerebro, semper fere in supremo, quod tunc pondere eo superimposito deprimitur leviterque cavatur. Interdum quoque medias inter laminas caverna latet, sero vel sanguine impleta [2]).

Quamquam sanguinis effusioni saepe non adjunctus sit alius morbus, tamen accidit ut cum vitiis cerebri aliarumque partium conjungatur, inter quae duo haec frequentiora sunt, seri inter membranas et ventriculos abundantia et cerebri tabes, cui a Parisiensibus professoribus nuper vocabulum *ramollissement du cerveau* impositum est. Quae duo genera, nonnunquam inter se juncta, vetustis crebrius quam recentibus sanguinis collectionibus superveniunt. At vero humor aquosus totam cerebri superficiem simulque ventriculos alluere solet, tabes contra arctioribus cancellis circumscripta intra idem plerumque hemisphaerium, in quo caverna sita est (nam in viginti attonitorum cerebris quinque tantum alterius hemisphaerii tabem obtulerunt) cerebri materiam emollit ejusque compaginem in pultem quandam resolvit, nunc in vicinia effusionis marginesque ipsos cavernae subigens, nunc satis magno intervallo ab ea distat.

Aliorum viscerum morbi rarius quidem in attonitorum corporibus offeruntur, praeterquam cordis, cujus magnitudo et crassitudo consuetum crebro excedit modum. Ac sinister imprimis ventriculus crassissimus deprehenditur, specu simul arctata. Pulmonum autem vitia rarissime sanguinis intra cerebrum effusioni adjuncta reperiuntur.

Cap. III.

Notarum et in vivis et in mortuis inventarum collatio.

Quos attonitos hemiplegia vel unius membri resolutio corripuit, ii fere semper in contrariā cerebri parte sanguinis collectionem recondunt; pauca enim quae

[1]) *Wepfer,* Historiae apoplecticorum (ed. Amstelaed.) p. 379.
Riobé, observations propres à resoudre cette question: l'apoplexie dans laquelle il se fait un épanchement de sang dans le cerveau, est elle susceptible de guérison? Paris 1814. p. 27.
Romberg, Ergebnisse einiger Leichenöffnungen, l. c. p. 435.

[2]) *Hodgson,* Von den Krankheiten der Arterien und Venen, übers. v. *Koberwein* p. 48.
Calmeil, de la paralysie considérée chez les aliénés. Paris 1826 p. 2?6—236.

praecepto illi Celeb. *Valsalvae* [1]) repugnant exstant exempla eaque praeter unum alterumve dubia. Primum egregius medicus, cujus auctoritas maxime apud nos valet, *Conradus Brunnerus* [2]) narrat dē muliere dextri lateris paralysi correpta et post quinque annos nova morbi accessione sublata, cujus cerebrum in dextro quidem hemisphaerio tres veteres cavernas unamque recentem habuit, in sinistro autem nihil notatu dignum exhibuit. Alterum tradit immortalis *Morgagnus* [3]), mulierem commemorans dextri lateris membris captam pariterque intra dextrum cerebri globum sanguinis effusione tentatam. Verum in ceteris de hoc morbo enarrationibus, quae exceptionem a regula, si qua alia in arte medica, constantissima, habere videantur, vel accuratam descriptionem desideres vel fidam auctoritatem. Ita *Baglivius* [4]) in morbi historia, quo occubuit clarissimus *Malpighius*, leviter perstringit quae in mortuo corpore reperta erant neque ullius rei mentionem facit praeter recentes mortiferae morbi tentationis reliquias.

Nec singulares modo sanguinis effusiones hac lege tenentur, sed etiam duplices in utroque cerebri globo, sive simul obortae sint, sive, quod crebrius accidit, succedentes.

At enim non semper paralysin sanguinis intra cerebrum collectioni comitem se adjungere jam supra dictum est, quanquam inter exempla ab auctoribus prolata discernenda sunt ea in quibus nulla resolutionis habetur mentio ab illis, quae eam non adfuisse diserte testantur. Et haec quidem ut propriam morbi speciem Clar. *Serres* [5]) proposuit, constituitque eam nomine *Apoplexiae meningeae* a sanguine cerebri membranas ac ventriculos dumtaxat inundante, dum materiae integritas servetur, originem ducere, alteram autem speciem vocabulo *Apoplexiae cerebralis* nuncupatam, cum paralysi conjunctam, cruore in cerebrum ipsum effuso produci contendit. Verum enimvero repugnant quae et antiquiores et recentiores saepius observaverunt. Ita viri celeberrimi *Vatsalva* [6]), *Morgagnus* [7]), *Simonus* [8]), *Bang* [9]), *Ro-*

---

1) *De aure humana tractatus.* Cap. V. 8. edit. Lugdun. Batav. p. 85.

2) *Cf. Boneti* sepulchretum, edit. *Mangeti* (Lugduni 1700) T. I. L. I. Sect. 2. p. 139.

3) *Morgagni* epist anatom. XIII. Nro. 25.

4) *Baglivi* op. omn. edit. Norimberg. p. 681.

5) Nouvelle division des apoplexies l. c.

6) *Morgagni* de sed. et caus. morb. epist. II. n. 17.

7) De sed. et caus. morb. epist. III. n. 14.

8) *Cf. Wepfer* observat. de morbis capitis p. 676.

9) *Bang* Selecta diarii nosocomii regii Hafniensis T. I. p. 79.

choux[1]), *Ribes*[2]), *Moulin*[3]) paralysin sanguine inter duram matrem et arachnoideam alterius lateris collecto excitatam fuisse referunt, et contra auctor diligentissimus *Abercrombie*[4]) in cerebri materiam ipsam quinquies reperit sanguinem effusum, nulla partium paralysi praegressa. Huc accedit quod duplex cruoris eruptio in utrumque cerebri hemisphaerium unum tantummodo latus interdum resolvit, quin etiam nonnunquam neutrum, et hoc, ut est rarissimum, semel tantum laudatus ille medicus observavit [5]).

Neque sane praetereundum puto, quod nuperrime Parisiensis professor [6]) docere conatus est, eum morbum cum cerebri vitiis ita cohaerere, ut ex singulorum illius locorum affectionibus singulae paralyseos species oriantur. Et ad brachia quidem resolvenda thalamos opticos eorumque radios in posteriorem cerebri partem immissos plurimum valere, crura autem corporum striatorum anteriorisque cerebri partis vitio maxime affici. Verum etiamsi negari non potest, in medicorum libris aliquot reperiri exempla, quibus illud quodammodo probabile fiat, tamen alia non desunt frequentiora, quae conjecturam illam redarguant. Praeterea sanguis in thalamum opticum, sive striatum corpus effusus et brachium et crus alterius lateris una resolvit, quod iterum atque iterum aegrotorum observatio nosmet ipsos edocuit. Paralysis denique, quae cum cerebelli et cerebri vitiis sit conjuncta, tamen modo superiores, modo inferiores partes occupat, in errorem delapsum esse medicum illum evincit.

Auctor idem [7]) memorat sanguinis effusione intra pontem Varoli eam morbi accessionem excitari, quae omnia simul membra resolvit: nec sane allatis exemplis fidem suam derogare decet. Sed de hoc rarissimo affectu, quippe ab alio nemine nisi a Celeb. *Cheyne* [8]) semel notato, qui aegrotum talem spiritus quidem difficultate, minime vero paraplegia vexatum commemorat, plura adhuc documenta exspectanda sunt.

---

[1]) ***Rochoux*** recherches sur l'apoplexie p. 186.

[2]) ***Ribes***, Considerations physiologiques sur un Kyste contenant du sang coagulé et placé entre l'hémisphère gauche du cerveau et la dure mère, Révue medicale Janvier 1822. p. 34—57.

[3]) ***Moulin***, traité de l'apoplexie p. 98.

[4]) ***Abercrombie***, pathological and practical researches on diseases of the brain and spinal cord. p. 226. p 227. p. 229. p. 230.

[5]) l. c. p. 231.

[6]) ***Serres***, suite des recherches sur les maladies organiques du cervelet (Magendie, Journal de physiologie etc. T. III. 2 Num. p. 114—153.)

[7]) ***Serres***, nouvelle division des apoplexies l. c.

[8]) ***Cheyne***, cases of apoplexy and lethargy with observations upon the comatose diseases. p. 101.

Quemadmodum vero paralysin sic et ceteras morbi notas e propriis haemorrhagiae sedibus, quasi fontibus suis, derivare omni opera et diligentia auctores studebant, utinam pari judicii acritate. Sed varias opiniones de hac re conceptas in diemque auctas jam alii satis in dubium revocabant, cum talia tanquam commenticia et ficta prorsus rejicienda optimo jure censerent. Quapropter libentius hisce supersederem nisi quae laudatus *Serres* [1]) de societate quadam inter cerebelli vitia genitaliumque affectus scriptis mandavit, commemoratione haud indigna mihi viderentur. Nam quinque observavit attonitos colis ardore, rubore, ac tentigine fere assidua seminisque profusione afflictos, quorum cerebellum, inprimis commissura vermiculata, sanguinem eruptum recondidit. Mulierem quoque narrat jam septuagenariam in morbi accessione sanguinem ex naturalibus fudisse, et post ejus mortem cruoris collectiones in cerebello, utero, ovariisque inventas fuisse. Utrum vero ex aliquo casu an e certa naturae lege pendeat consortio ista iterata morbi observatio in posterum docebit.

Neque haec sola sunt quae in dubium vocari possint, sed alia nobis multifariam afferunt dubitationem cum de morbi exitu cursuque rationem reddemus. Inprimis autem notandum est mortis celeris caussam nequaquam, ut vulgo creditur, tantum ad locum modumque sanguinis intra cerebrum effusi referendam esse; nam cadavera attonitorum quos mors subita oppresserat, quae exempla admodum rara sunt, eandem fere sanguinis abundantiam et sedem exhibuerunt quam qui tardius occubuerant vel omnino primam morbi tentationem superarant. Sic *Petrus Frank* [2]) hominem quendam, cruore in ventriculos effuso, Cl. *Valsalva* [3]) alium, sanguine intra cerebri velamenta collecto, repente e vivis sublatum vidit. At gravioris sane momenti ad accelerandam mortem nobis videntur esse sanguinis collectiones pluribus simul locis coortae, vel in cerebro et cerebello, vel in utroque cerebri hemisphaerio, vel una in externis internisque partibus. Ita mulier quaedam intra sedecim horas mortem obiit, sanguinis eruptione in utrumque corpus striatum facta, alia intra octo horas, omnibus ventriculis et sinistri hemisphaerii superficie cruore inundatis, et homo quidam, cujus cerebelli pars dextra ventriculusque sinister haemorrhagiae sedem praebuit, intra quindecim horarum spatium animam efflavit. Praeterea autem sanguinis profluvium e ruptis grandioribus cerebri arteriis vel venis summum vitae periculum velociter adferre ita notum est ut vix monendum videatur.

Verumtamen non negandum, abundante sanguinis in cerebro collectione vi-

---

[1]) *Serres*, Anatomie comparée du cerveau T. II. p. 601—608.

[2]) *Joannis Petri Frank* opuscula posthuma p. 289.

[3]) *Morgagni* de sed et caus. morb. epist. II. n. 18.

tam diutius per plures hebdomadas mensesque trahi posse, etiamsi a quibusdam addubitatum vel sic interpretatum sit ut sanguis non nisi lente sensimque vel ultimis tantum vitae diebus effusus sit. At contrariam opinionem confirmant tum chirurgorum experimenta, tum indiciorum morbum manifestantium constans tenor, tum maxime sanguinis ipsius stagnantis natura. Nam color quasi rubiginem trahit, serum a crassamento discedit, intraque cerebri materiam non impletur sanguine cavum, cujus parietes leves durique fieri incipiunt. Rarius sane contingit ut membranula, involucrum illud cavernae de quo supra dictum est, jam intra quindecim dies deprehendatur, quod nos semel quidem vidimus [1]), plerumque autem quinta vel sexta hebdomade primum conspicitur augeturque postea temporis decursu in crassitudinem ac densitatem. Simulque aliae mutationes accedunt, quae de cavernarum vetustate argumenta indubitata afferunt. Quo pertinent: ambitus cavernae angustioribus terminis circumscriptus, duritia cerebri vicini, liquoris inclusi color limpidus, vel si cava inania sunt, parietes filis reticulatis aut tenuissimis laminis agglutinati. At enimvero perfectae solidaeque cicatrices neque a *Morgagno*, neque ab *Abercrombie*, nec denique a nobis ipsis repertae sunt, quanquam a medicis Parisiensibus ut notissimum jactantur, quin etiam nova morbi accessione vel aliqua capitis injuria nonnunquam rumpi memorantur [2]), quae res mihi quidem mera conjectura eaque improbabilis, ne dicam temeraria esse videtur.

His igitur positis, quae salva vita sanguinem e canalibus suis effusum in cerebro haerere, mutari, discuti posse docent, adjungere quaedam necesse est de eo genere aegrotantium, quorum capita cavernas illas, haemorrhagiae praegressae reliquias, recondunt. Nam sanationem morbi praecipueque resolutionis a digesta sanguinis collectione proficisci vulgo satis creditur; verum praeterquam quod aegrotorum observatio paralysin interdum ante sanguinem discussum vel primis diebus evanescere demonstrat, alia eaque crebriora exempla resolutionis perpetuitatem, cruore jam dissipato, ostendunt. Sic inter triginta quatuor attonitos morbi accessioni diu superstites atque post mortem rupti quondam cruentatique cerebri vestigia exhibentes, decem tantummodo recensentur qui integrum resolutarum partium usum recuperaverant, sex quibus imbecillitas membrorum inhaesit, octodecim denique quorum paralysis inveterascens usque ad vitae finem permansit.

Perinde etiam in dubium vocamus quod quibusdam placuisse videmus, morbi accessionum numerum respondere cavernis in cerebro. Nemo enim non confitebitur

---

[1]) ***Romberg,*** über Haemorrhagieen des Gehirns in Horn's etc. Archiv, für medic. Erfahrung 1823. Mai u. Juniheft p. 423.

[2]) ***Serres,*** anatomie comparée du cerveau. T. II. p. 704.

opus esse ad ratum firmumque judicium de hac re accuratissima observatione et medico prope assiduo. Verum illi auctores, Cl. *Riobé, Bricheteau, Cruveilhier, Moulin* [1]) experimenta sua tantum non omnia ex valetudinariis depromserunt quae plerumque ultimis demum vitae temporibus aegrotos admittunt, tum vero praeteritorum haud idoneos testes. At neque aliis neque nobis ipsis quanquam per ipsos quinque annos ultraque quorundam attonitorum curationi intentis contigit ut singulas morbi tentationes singulis haemorrhagiae reliquiis manifestatas reperiremus. Praeterea ne duplicis sanguinis collectiones simul obortae residuaeque in errorem inducant, monendum videtur.

Jam supra dictum est haud raro attonitos non solum membris sed mente quoque captos miserrimam vitam satis diu trahere. Ii fere omnes simul cum haemorrhagiae reliquiis aquae in ventriculis vel inter membranas collectionem cerebrique tabem, praecipue cavernarum margines emollientem, medicis in mortuo corpore morbi notas indagantibus obtulerunt.

---

[1]) Cf. ***Romberg,*** über den Schlagfluss in patholog. anatomischer Hinsicht in Horn's etc. Archiv, für med. Erfahr. 1819. Novemb. u. Decemberheft p. 533 — 570.